

Slon : * dominare | in medio inimicorum tuorum.

4. Tecum principium in die virtutis tuæ, | in splendoribus sanctorum : * ex utero | ante luciferum GENUI te.

5. Juravit Dominus, | et non poenitebit eum : * tu es sacerdos in æternum, | secundum ordinem melchisedech.

6. Dominus a dextris tuis, * confregit in die iræ sue reges.

7. Jucicabit in nationibus, | implebit ruinas, * conquassabit capita | in terra multorum.

8. De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri et Filio, | et spiritui sancto.

Sicut erat in principio, | et nunc et semper, * et in sæcula sæculorum. Amen.

PSALM 110.

1. CONFITEBOR tibi, Domine, | in toto corde

meo, * in concilio justorum, | et congregatione.

2. Magna opera Domini : * exquisita | in omnes voluntates ejus.

3. Confessio et magnificentia opus ejus, * et justitia ejus manet | in sæculum sæculi.

4. Memoriam fecit mirabilium suorum | misericors et miserator Dominus * escam dedit timentibus se.

5. Memor erit in sæculum | testamenti sui : * virtutem operum suorum | annuntiabit populo suo.

6. Ut det illis hereditatem gentium : * opera manuum ejus | veritas et judicium.

7. Fidelia omnia mandata ejus, | confirmata in sæculum sæculi, * facta in veritate et equitate.

8. Redemptionem misit populo suo, * mandavit in æternum | testamentum suum.

9. Sanctum et terribile nomen ejus : * initium sapientiæ | timor Domini.